

De expensis immodicis N. et N. et ubique locorum factis nullus nostrum novit, antequam creditores veniunt exigentes ille X, alter XII, peccora nostra, que sunt apud nos, deducentes et predia nostra spoliantes.

Nocte dieque crapulis inhiat solus cum servis festivis et ferialibus noctibus usque ad matutinos, ita quod, quandoque venit in chorum, lucernam suam circumgestans sicut delirus et ebrius.

Ex hiis apparet, quod tam scolares quam maiores discipline regularis vigore sunt desolati, quod in presentiarum potest approbari. Conquerentes hec, si non valeant comprobare, nec odio nec rancore provocati, set zelo iusticie compellant in tenebras exteriores. Hec omnia solum de prodiga laxaque vita sua conscripsimus, quod nec soldarios nec aliorum quorumpiam valet iniuriam proinde incusare.

C.

Ludwig (VII.) von Frankreich, der 1147 Papst Eugen (III.) empfangt, wird als frommer und gerechter Schützer der kirchlichen Freiheiten gepriesen, der anderen Königen ein Vorbild sein sollte. Bei Prozessionen ließ Ludwig stets Geistlichen den Vortritt. Als er einmal vor Paris, auf seiner Reise von der Nacht überrascht, in dem Dorf Créteil des Pariser Domkapitels übernachten mußte und sich die Beherbergungskosten bezahlen ließ, erstattete er sie dem Domkapitel zurück unter Bürgschaftsleistung des Bischofs (Theobald) in Form eines bis heute unter den Privilegien der Pariser Domkirche verwahrten Stabes mit entsprechender Aufschrift. – Clm 23502 fol. 20v-21r; Stephan von Paris, Kommentar zur Regula sancti Benedicti cap. 35, ed. Jean MABILLON, Annales ordinis s. Benedicti occidentalium monachorum patriarchae, Bd. 6, hg. von Edmond MARTÈNE, 2. Aufl. (1. italien. Aufl., Lucca 1745) S. 651f. [1. Aufl., Paris 1739, S. 700f.] Nr. 49 = Recueil des historiens des Gaules 12 (1781) S. 89-91; hg. von BYNUM (wie Anm. 59) S. 74f. Anm. 2; nachfolgend sind nur historisch oder grammatikalisch wichtige Varianten verzeichnet.

Anno incarnationis Dominice M^o C^o XL VII^o, ut mihi videtur, venit in Franciam felicitis memorie papa Eugenius natione Pisanus, dignitate et vita vere apostolicus totus. Exivit ei obviam L. rex, alterius L. regis Francie filius, ita pius, ita clemens, ita catholicus ac benignus, quod, si eius gestum videres et habitus eius simplicitatem, crederes utique, quod rex non esset, nisi eum forte cognosceres, set homo aliquis religiosus.